

quemdam gentilem diutissime sepultum: Sanct. Udalricus quemdam innocentem supplicio affectum post multum temporis vita restituit, quam quod Christus quatriduanum Lazarum excitavit.

Tertio, saltem si fuisse opus majora opera facere, poterant apostoli. Et sic videtur intelligentius Christus quo modo dixit, Luc. VII. Si habue-

*ritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori: Eradica te et transplanta te in mare, et obediet vobis.*

Cæterum in hoc miracula, quia sancti ut instrumentum tantum, ipse vero velut agens principale ea operatus est: unde subdit: *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.*

## AUCTARIUM.

## CONCIO I.

QUOMODO PHILIPPI, HOC EST, EQUORUM AMATORES ET QUORUM ESSE DEBEAMUS.

I. Amatores corporis nostri. — II. Amatores servorum. — III. Amatores pauperum. — IV. Amatores tribulationum. — V. Amatores sepulcri sui.

## THEMA.

Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Joan. XIV.

Jure aliquis interrogat, quamobrem Christus Dominus, cum aliis quibusdam apostolis nomina vel mutaverit vel indiderit, non mutaverit Philippo, cuius nomen apostolo minus convenire videtur. Sonat enim Græce quod *amator equorum* Latine. Quid autem equis cum apostolo, vel apostolo cum equis, qui audiit a Christo: *Euntes (non equitantes) prædicate evangelium?* Et ut liceat apostolis etiam equitare, quomodo licebit equos adamare? Hoc enim potius equitum, militum et rusticorum esse videatur, quam apostolorum. Verum Christus Dei sapientia non modo nomen hoc Philippo non admetit, sed potius confirmavit, dum in hodierno evangelio, illo ipso nomine *Philippum* compellavit. Vedit enim hoc vocabulum non honestum modo, sed prænobile esse, si quis amet equos, quos amare debet: non qui in stabulis aut campis pascuntur, et bruta animalia, quæ ad jugum nata sunt, sed alios qui hominem celo inferre possunt. Quinam vero illi sint hic videamus.

I. Equus est corpus et caro nostra animam gestans velut equitem. Julius Caesar equum habuit pedios anterioribus humanis, qui alium præter ipsum non excipiebat, teste Plinio, lib. VIII. capite XLII. Hujusmodi equus hominis ipsum ejus corpus est; de quo exponit Origenes, homil. XV. in Jo. id Psal. XXXII. *Fallax equus ad salutem, in hæc verba: Si motus corporis nostri permittamus infrænes, nec abstinentiæ jugo lasci-*

*viam carnis et superba colla subdamus. Similiter Ambrosius, in tract. de Nabor, equum appellat carnem nostram. Quid autem de hac apostolus? Nemo unquam carnem suam odio habuit, (inquit ad Eph. V.) sed nutrit et fovet eam. Ergo ne caro nostra amanda? Ergo non frænanda, non afflenda est? Non hoc asserit apostolus: sed uxorem diligendam prædicat, eo quod sit caro mariti: carnem autem suam nemo odit. » Cæterum sic amet anima carnem, ait S. Bernard. in Psal. Qui habitat, ser. X. ut non ipsa in carnem transiisse putetur, dicaturque ei a Domino: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est: diligat anima carnem suam, sed multo magis suam ipsius animam servet.* Amet Adam Evam suam, sed non sic amet, ut voci ejus plus obediatur, quam divinæ. » Similiter S. Augustinus, lib. de continentia, tom. IV. « Non est, inquit, inimica nostra (caro) et quando ejus vitiis resistitur, ipsa amatur, quia ipsa curatur: nemo enim unquam carnem suam odio habuit, ut ipse apostolus dixit. » Sic ille. Plurima bona præstat homini equus, ut apertum est; similiter et caro animæ. Dum enim jejunat, dum flagella patitur, dum genua flectit et orat, dum lacrymas fundit, dum sensus a rebus vetitis retrahit et claudit, dum peccata confitetur et pectus tundit, dum se peregrinando et laborando pro Deo fatigat, dum ad eleemosynas manus extendit, et similibus piis operibus se exercet, certe animam in cælum, cui instat, portat. Imo ipsa Deo græssima fit hostia, si in talibus se occupet, teste apostolo ad Romanos, c. XIII. *Obsecro vos, fratres, inquit, per misericordiam Dei, ut exhibatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Ergo corpora nostra placare Deum possunt, velut hostiæ immolatæ. *Nihil mali respiciat oculus,* ait Santos Chrysostomus, homil. XX. in epistol. ad Romanos, et facta est hostia Deo: *nihil turpe loquatur lingua, et facta est corporis obla-**

## IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

*tio: nihil iniqui committat manus, et factum est holocausta, etc.* Cæterum qui amat equum suum, non dimittit liberum qua vult vagari, sed sub fræno tenet; ne dum in eo equitat, frænum ei permittit, sed eo potius attracto, caute eum ambulare cogit; ne, equo cespitante, una cum ipso cadat, aut in præcipitum ruat. Neque etiam pabulo nimio saginat, ne plane ignavus fiat; neque otio torpore affixum stabulo sinit, ne ad gressum impeditus atque inutilis evadat. Idem agat, qui amat carnem suam: sub fræno eam contineat, nec nisi moderato pabulo nutriat, ne se cum illa perdat. Bajazetes Turcarum imperator, quia in fuga transiens flumen, equam suam, cui sedebat, velocissimam nimirum, bibere permisit, chiragra laborans, ex quo equa dissoluta et nimium gravata, segnius cucurrit, a Tamberlane insegnante captus est, teste Chalcondyla, lib. III. Sic omnino: *Si præstes animæ tux (carni tux) concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis,* Ecclesiastici XVIII. E contra Basilius Macedo cum indomitum equum concendens edomuisse, tantum apud Michaelem imperat. ob id gratiæ acquisivit, ut tametsi obscuris parentibus ortus esset, ex equorum custode factus sit ipsi cubicularius, et tandem, ducta Eudoxia uxore, regis pellice, successor in imperio Constantinopolitano, ut refert Zonaras, in Michaeli Theophili filio. Nihilominus, imo millies plus consequemur, si equum carnis nostra domuerimus; reges enim cœli fieri. Quis igitur equum hunc non amet? Hinc virgo illa mirabilis christiana subinde membra corporis sui, pedes ac manus, postquam ea dirissime afflixisset, blande exosculabatur, quod ipsi in Dei servitio fideliter adstitissent, ideoque suo tempore resuscitanda essent ad immortalem gloriam, et perfundenda sempernisi gaudiis, ut refert Cantipratanus, apud Sur. 23. jun.

II. Equi appellari possunt servi, quia dominorum onera quasi jumenta portant, ipsos quoque vehunt et revehunt, quo jubentur. Merito ergo diliguntur, uti non semel jubet Ecclesiasticus, in primis, cap. VII. *Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua:* deinde, cap. XXXIII. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi frarem tuum sic eum tracta, quoniam in sanguine animæ comparasti illum,* h. e. tamquam consanguineum tuum: vel potius comparasti eum, ut sanguinem et vitam tuam soveret ac servaret, laborando, defendendo, serviendo. Servi aliud non sunt, nisi viva quedam domini instrumenta, veluti est manus aut pes hominis, proboscis elefantis, etc. Quod ergo domini servis præstant, hoc sibi præstant: sicut et sibi dant quod equis

suis. Unde Seneca, epistol. XCXVII. *Servi sunt? inquit. Imo contubernales. Servi sunt? Imo humiles amici. Servi sunt? Imo conservi, etc.* Servi a servando dicti sunt, quia domum heri conservant; et sæpe propter unum servum bonum benedicit Deus toti domui: ut domui Laban propter Jacobum, domui Putipharis propter Joseph. Unde antiquorum consuetudo fuit, ut cum primum servus in domum admittebatur, super ejus caput spargeret herus nuces, sicus, dactylos, pomaceum et fructus alios, varia quoque leguminum olerumque genera, denique auri argenteum numeros; quo indicarent servum illum recens exceptum fore domino domique, quam intrabat, ita fructuosum, ut in eo familiæ totius sustentatio et deliciæ posita viderentur, Pier. libr. LVI. simul etiam indicabant, quam benevolè et amanter tales servi habendi a domino et colendi essent. Insinuavit id potentibus verbi Jonathas patri suo Sauli, commendans ei Davidem, I. Reg. XIX. *Ne pecces, rex, in servum tuum David, quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde.* Et posuit animam suam in manu sua et percussit Philistæum, etc. Vidisti et latatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa? Alexander Magnus equo suo Bucephalo, quod sibi fidelissimum, neminem alium sessorem recipere, et ascensurum genitus excipere solitus fuisset, amissò exequias duxit, et in amoris monumentum condidit oppidum, appellavitque nomine equi sui Bucephalon, teste Curtio, in vita ejus, lib. IX. cap. VII. Plinius, lib. VIII. cap. XLII. Adeo visum illi est tam utili jumento gratitudinem rependere. Quid ergo dicendum de illis heris, qui servis suis utuntur, uti pila, pueri, quam ubi ludendo miserent ac remiserint, jactarint, et decusserint, disruptam in sterquilinium abjiciunt? Vel uti pomis aureis, quæ cum succo expresso despoliarint, e fenestra ejiciunt?

III. Equi divitum sunt pauperes, qui acceptas ab eis eleemosynas deferunt in cœlum, velut in cœlestes quoddam divitum gazophylacium. Testem habemus S. Laurentium, qui requisitus a Valeriano imperatore de Ecclesiæ thesauris, respondit: *Facultates Ecclesiæ, quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperum deportaverunt.* Idem indicavit Dominus adolescenti, cui dixit: *Vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo,* Matth. XIX. q. d. in cœlum ab egenis deportata cum fœnore reperies. Plurimis exemplis veritas hæc demonstrata est; quibus hoc non vulgare addam. Jordanes oppido Botege provinciæ Saxonie natus, cum Parisiis sanctis litteris studeret, consueverat intempestæ no-

ctis silentio venire in ecclesiam, et ibidem sacra audire. Dum autem pro more aliquando, falso ratus jam signum ad sacra peragenda datum, iter arriperet, egenum offendit munera petentem. Venerat Jordanes, forte usus celeritate, absque pecunia: unica ueste indutus, et balteo cinctus argenteo, balteo illum donavit. Tandem reserato templo (aliquantulum enim pro foribus expectaverat) ingreditur, vidit Christi optimi maxi simulacrum cruci affixum, balteo donato paulo ante egeno, praecinctum. Cujus spectaculo plurimum motus, togam religionis ex tunc assumere deliberavit. Postea assumpto ordine Praedicatorum, secundus a S. Dominico ordinis generalis factus est. Jam ergo quis non amaret equum, qui thesauros sibi impositos in talem deferrat locum, ubi domino non solum auferri nequeant, sed insuper augeantur in immensum? Tales equi pauperes sunt. Quamobrem uterque S. Gregorius Nazianzenus et Nyssenus, ille unam, hic duas de pauperibus amandis orationem scripsit, ideoque etiam reges multi pauperes in ambris habuerunt. Carolus Magnus imperator, quotidie duodecim pauperes, in honorem duodecim apostolorum, in aula et triclinio suo pavit Sabellie. Ennead. VIII. libro VIII. Robertus Franciae rex, quocumque iret plastra pauperum secum circumvehebat: « Tamquam exercitum, ut aiebat, quo cœlum iret expugnatum; dicebatque, hoc esse genus hominum, quibus Deus cœlestis regni portas tradidisset, iis aperiendas, qui in ipsis misericordie viscera prius aperuissent, » teste Baronio, anno 1033. et Bodino, l. VI. de reb. cap. II. His accedit Sanctus Elzarius comes Ariani, qui adhuc infans: « Cum bajularum brachiis portaretur in castri Ausoisi porta, sepe pauperes humanissime intuens, nullo pacto progreedi volebat, imo vero etiam sine intermissione plorabat, nisi illis præstata esset eleemosyna. Atque ea causa nutrices ejus vel ob afferendum panem redibant in castrum, vel secum ferebant, ut illi infanti satisfacerent. Cumque pauperes accepissent eleemosynam, lætus et alacer transibat. Postquam autem ætatis quintum excessit annum, quidquid ex iudicis puerilibus, vel aliunde acquirere potuit, in pauperes erogabat, infantesque et pueros, cum quibus interdum captabat sua solatia, præcipue vero inopes ad prandium suum curabat invitari. » Ita in ejus vita, Sur. 27. sept.

IV. Equi sunt crucis et tribulationes, quæ hominem alioquin debilem voluntate, et a Deo refugum, ad ipsum devehunt, adeoque venire compellunt; similes jumento illi, seu equo seu asino, cui Samaritanus imposuit sauciatum a latro-

nibus; duxitque in hospitium, ut ibi sanaretur, Luc. X. Jumentum cui insedit Christus, crux erat. Quem ergo reperit adeo vulneratum et debilitatum, ut suis ingredi pedibus, et venire ad se nequeat, jumento suo imponit, cruci, inquam, et tribulationi alicui, sive eum adducit, juxta id Psalm. XV. *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Equo ignavo autem debili calcaria adhibentur, et tunc gressum accelerat: homini tardigrado et pœnitentiam differenti immittit Deus crucem et vexationem; sic impellit ad pœnitentiam. Rursum, si in viridi prato pabulari vehit equus, fræno attracto constringitur os ejus, ut sine mora perget quo eques festinat. Pari modo Deus cum videt hominem voluptatum pabulo intentum, remoras necere, quominus ad pœnitentiam properet, frænum ei injicit, famem, egestatem, morbum: quo præpeditus a pastu, ad capessendum iter, imo in volandum alacriter concitetur. Hinc Psalm. XXXI. orat David: *In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* In quem locum Sanctus Gregorius ait: *Orat igitur fidelis anima, ut lubricos peccantium cursus mundana aversitate virtus divina coercent: quatenus erroris sui desideria sequi non valeant: et hoc modo ad se reverti, saltem ex difficultate et impotencia peccandi resipiscant.* Hoc certe fræno reduxit prodigum filium ad paternam domum, ad quam is nunquam rediisset, nisi fames et egestas eum comprehenisset et ad patrem reduxisset, Luc. XV. Nunquam regulus ille Christum requisisset atque in eum credidisset, nisi filii infirmitas, quasi equus gradarius, ipsum advexisset, Joann. IV. Et quando rex Manasses peccatorum suorum, vincula abrupisset, quando ad pœnitentiam gradum accelerasset, nisi gravi catenarum pondere in captivitate pressus fuisset? II. Par. XXIII. « Accidit in quadam obsessione (inquit Sanctus Bernardinus, in sermone *Cur malis adversa dentur*, tom. III.) eujsdam castri Saracenorum, quod cum illud Christiani obsiderent, quemdam nobilis, quem Saraceni ceperant per funem pendentem ex illa parte, qua machinae percutiebant, oppauerunt, qui Christianis magna voce clamavit, quod propter eum machinas jactare, et castrum expugnare non desisterent: accidit, quod primus ictus machinae funem rupta, et ille cadens in fossatum a Christianis liberaliter est. Unde potuit dicere cum Psalm. CXV. *Dirupisti Domine vincula mea.* Sic accidit de hominibus existentibus in manibus Saracenorum, id est, dæmonum, qui per tribulationem liberantur. » Huc usque Bernardinus. Neque vero malis solum crux pro equo servit, ut ad Christum veniant; sed etiam

bonis et sanctis, ut celerius et gloriösius pergant. Quemadmodum enim equus hominem exaltat, ut jam sit conspicuus, qui prius humili in plebe non apparebat: addit etiam equiti quamdam estimationem, ut non unus de plebe, sed præcelens videatur: ita etiam crux hominem in altum tollit. Idem facit tribulatio: hominem enim Christo assimilat, et Deo dignum reddit, ut qui non vulgari, sed militari virtute gloriam in cœlo singulari sibi parare velit. Sic inter alios exaltavit Sanctum Philippum, pro Christo crucifixum et lapidibus insuper obrutum. Quis talē equum, non amet? Non exosculetur? Darii Persarum regis equus, cum inter septem Persarum principes convenisset, ut cuius equus primum ante sois ortum daret hinnitum, rex crearetur, primus omnium hinniit, sive dominum suum ad sceptrum regium extulit, auctore Ctesia, de reb. Persicis. Quas gratias putatis egisse Darium equo suo? Osculum infixisse facile crediderim. Quid vero crux? Nonne amantes sui evehit in cœlum, et cœli reges facit? Quis ergo eam non adoret et exosculetur?

V. Equi appellari possunt feretra et sarcophagi nostri, quibus efferimur ad sepulcrum. At quis hunc equum amet? Dicet aliquis. Imo vero maxime amari potest et debet. In primis enim educit hominem e miseriis hujus vitæ, quæ mors sicenda potius, adeo ut dicat Ecclesiasticus, cap. VII. *Melior est dies mortis die nativitatem.* Unde olim Gaditani templum morti et aram consecrarent, divinosque honores exhibuerunt, tamquam communi quieti et miseriarum omnium portui; ut retulit Wigerus præpositus et paedagogus Sancti Bennonis, in ejus vita, apud Sur. 16. junii. Ad hæc: *Nonnullis gentilibus mos est*, ait Hegesippus, libro V. capite LIII. *ut ortus hominum flibus, occasus gaudiis prosequantur, quod illos ad ærumnas generatos doleant, hos ad beatitudinem redisse gratulentur.* Quod forsitan imitata est Jezebel, mulier Sidonia, quæ in funere filii ambitione se ornavit et stibio depinxit, IV. Reg. IX. Id vero potissimum convenit Christianis, qui pie et inculpate vivunt. Hos enim fert sarcophagus velut equus regius ad triumphos æternos. In horum numero jure computamus B. Albertum Magnum, qui abdicato episcopatu Ratisbonensi, Coloniam ad suum monasterium rediit; ubi cum, divina dispensatione, omnium rerum quas didicerat repente oblitus fuisset, solius tumuli sui, sibi præparati, memoriam non depositus: singularis enim diebus ipsum revisit, et pro se velut jam defuncto orare consuevit; ut refert Ferdinandus Castilius, in hist. ord. Præd. Sancta etiam Ida, Egberti comitis et prefecti Caroli M. vidua

relicta: « Marmoreum sibi sarcophagum longe ante obitum jussit præparari, ob incerti temporis momentum, quem duabus quotidie vicibus, quamdiu supervixit, diversis alimentorum aliarum rerum impensis summo tenus implevit, et victu caretibus hilariter distribuit. » Ita in ejus vita Uffingus monachus Wertinensis, apud Sur. 4. sept. Adamavit ergo sarcophagum suum, quem pauperum eleemosynis adeo munivit. Quidus addo Maximilianum I. imp. qui postremo imperii sui quinquennio, cum palatium apud Oenipontem magno suo ære construi mandasset, et operis præfecti leviores quosdam in eo errores commisissent, secretius in aurem cuidam sibi adstanti susurrabat: *Parum hi faciunt, quod me delectet: aliam domum construam mihi placitum;* eoque die feretur, omni quæ ad sepulturam necessaria foret supellectili instructum, parari jussit, ac secum, quocumque pergeret, clanculum deferri. Cumque curiosius conjectarent processores de usu illius scrinii, Cæsar subridens, ac sibi conscient: *In rei, dicebat, mihi supra omnes alias charissimæ usum mecum hoc deferro.* Ita assidue sepulcrum adesse sibi voluit, ut ejusdem perpetua recordatio, suæ menti fastum mundi eximeret, æternitatis bravium infunderet, Reinhard. Hadamar. in institut. principum. Idem fecit ejus nepos Carolus V. imper. ut alibi retulimus ex justo Lipsio, lib. II. monit. polit. cap. XIV.

Invenimus igitur equos, quos amare possint etiam apostoli, et quidem magno suo bono, gloria et merito; equos, inquam, minime fallaces ad salutem, sed potius viam cœli optime callentes. Horum uno, et quidem nobilissimo, consenserit Philippus cœlorum regnum ingressus est, in cruce videlicet: quomodo igitur equi hujus amator esse non potuit? Nos si tam heroicum et bellicosum equum regere non possumus, vel ascendere non audemus, seligamus e dictis alium, imo omnes reliquos: ut ita post Philippum, et ipsi quidam Philippi, cœlum non pedestres sed equestres, non humiles sed sublimes ingredi meamur.

## CONCIO II.

VERNUS TEMPUS DEUM QUI NOBIS OSTENDAT.

I. Potentiam Dei. — II. Sapientiam et providentiam Dei. — III. Pulchritudinem Dei. — IV. Divitias Dei. — V. Bonitatem Dei.

## THEMA.

*Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me.* Joan. XIV.

Franciscus Petrarcha scribit sua ætate et in terra sibi patria fuisse virum nobilem et opulentum, cuius optimum studium erat excipere transuntes apparatus magnifico. Is die quodam e silvis et venatu in vili tunica et inculta domum rediens, plenam hospitibus reperit. Quibus honrandis intentus, dum omnia lustrat, in quedam illorum famulum superbum, stabulum purgantem, incidit, cœpitque eum blande corrigere: impatiens iræ servus, in faciem eum cecidit. Abiit ille tacitus. Postea cernens famulus ipsum in capite mensæ sedentem, et omnibus hospitibus liberalem mensam et magnificam gratis imperitatem, trepidare cœpit, advertens quem percusserit. Comperito igitur quem ceciderit, veniam poposcit, et facile obtinuit. Homines quam plurimi servo isti similes sunt. Divertimus nos in hunc mundum, sane in alienam domum ditissimi creatoris nostri. Sed quia is per hiemem, quando nihil crescit, et omnia sopita jacent, suam gloriam et opes, velut vili tunica contegit, eum non videntur aliqui agnoscere: imo dum bonis ejus fruuntur, etiam graviter offendunt. Sed videamus eum in ætate, quam liberaliter tunc pascat omnes, quotquot sunt in mundo. Aspiciamus eum hoc verno tempore, quam explicit decorum et divitias suas in terræ virore omniusque generis floribus. Quis jam non cognoscet dominum et nutritorem suum? Et quid non ex corde dolebit, quod aliquando offenderit talem et tam munificum patrem familias? Hunc ergo jam considere mus.

I. Ostendit nobis potentiam suam in productione tot creaturarum, quæ per hiemem omnes velut extinctæ et emortuæ, sub nive sepultæ, vel omnino nullæ fuerunt. Unde enim tot herbæ et flores agrestes silvestres, aquatichi, nullo prorsus seminante? Unde tot novi fructus terræ et arborum? Unde tot animalia nova omnis generis? Nonne novus quidam mundus quovis vere prodit? Et hæc nova mundi facies, nonne intra paucos dies, e minimis seminum granis quanta et quam mira gignuntur? Quis quæreret in arboribus gossi-

pium et oleum? Quis sericas vestes requiret a vermis? Quis mel et ceram ab apibus? Quis vitam pretiosa e tam ruditis vitis stipite?

Secundo, ea omnia producit quovis anno, ex vi primæ creationis continua quadam serie per causas secundas: quod longe majus est, quam si quotidie vel singulis annis de novo ea crearet. Majoris enim artis est componere horologium, quod statas constanter horas pulset, et seipsum dirigat per admodum longum tempus, quam si artifex ad horas singulas pulsandas, vel pondera attollenda manum admoveat. Quanta ergo est vis divini illius verbi, quo solo terram jussit producere per tot sæcula tot frugum totque animalium genera, ut nulla unquam tempore deficiant?

Tertio, eadem quam facile dat, tam facile rursum auferre et enecare potest per pruinam, erucas, rubigines, locustas, scarabæos, grandinem. Sapientissima arbor appellatur morus a Plinio, quod nonnisi exacto frigore germinet; ea tamen sœpe occiditur a pruina, juxta id Psal. LXXVII. *Occidit moros eorum in pruina.* Adducit solem et omnia producit, removet eudem et omnia vastat, juxta id Psal. CXXX. *Aperierte manum tuam, omnia implebuntur bonitate; avertere autem te faciem, turbabuntur, et in pulverem suum revertentur.*

Quarto, eorumdem species et semper hactenus conservat, ita ut nulla unquam species animalium aut plantarum aliarum rerum deficit, licet tot passim capiantur animalia, aut morbis extinguantur: imbecilla vero et parva a robustis et magnis devorentur: tot frigoribus per hiemem subjaceant et non intereant, etc.

II. Suam sapientiam et prudentiam. Primo, in tanta rerum, herbarum, florum, arborum, frugum, animalium varietate. Qualis enim est illa Dei sapientia, quæ tot florum variegatos colores, arborum species et fructus, avium pennas et cantilenas, aliorum animalium diversissimas species excogitavit, ut nulla fere in proprietate unum alteri simile sit! Unus flos aut arbor ab alia dignoscitur, colore, odore, floribus, fructibus, foliis, stipite, cortice, virtute: una avis ab alia, pennis, cantu, rostro, volatu: quadrupes unum ab alio per incessum, vocem, pilos, pedes, colorem, cornua, vestigia, excrementa, aliasque plurimas proprietates; sicut homines per vultum, scriptio- nem seu manum, vocem, staturam, colorem, barbam, capillos, incessum, etc.

Secundo, in ea quod feras quidem unius speciei omnes sibi concolores fecerit; animalia vero cicuria, diversis distinxerit coloribus. Referebat enim ut quisque suos equos, boves, porcos, capras, canes, feles, gallinas, columbas, anseres

anates dignosceret ab alienis, ad pacem conservandam, et fura impedienda.

Tertio, noxia animalia pauciora et minus fœcunda fecit, multitudo enim speciebus aliquibus interitum afferret. Minuta in magna fecit quantitate, ut sint cibus majorum. Utilia etiam fœcundiora; noxia et inutilia minori fœcunditate. Similiter et herbas. Interim venenata etiam animalia et herbae suas habent utilitates, et quidem contra venenâ, comeduntur etiam ab aliquibus bestiis sine noxa.

Quarto, quia non simul omnes producunt fruges, flores, arborum fructus: sed alios maio, alios junio, alios julio, alios agosto mense; flores in vere, fruges in ætate, uvas et poma in autumno, oleum in hieme. Primo, quia ut simul omnia maturerent, non possemus omnia simul colligeri: secundo, quia non haberemus per vices honestam et juundam occupationem atque oblectationem: tertio, quia simul consumpta de copia inopiam generarent: quarto, ut fastidium varietas depellat: quinto, ne incidente gelu, pruina, grandine, simul omnia lœdantur et perant. Jam vero jucundissima et utilissima serie alimenta nobis dispersit, primo, foenum pro jumentis, quæ cæteras fruges invehere in horrea nostra debent; deinde, pro hominibus siliginem, post triticum: deinde, hordeum, mox avenam: post hæc foenum serotinum: deinde, fructus arborum, tum vitium, denique olearum.

Secundo, quantas intra annum præparet hominibus divitias, ex vino, frumento, aromatibus, serico, lana, lino, carnibus, pellibus, venatione, piscatione, aucupio, herbis, metallis, lignis, etc. Omnia enim hæc ex Dei penu depromuntur, et implent hominum penus, cellaria, horrea, marupia. Itaque qui omnes divites mundi ditat, quam dives ipse erit?

Tertio, has tantas divitias non ex thesauris suis, sed ex una tantum manu sua depromit, teste Psal. CXLIV. *Aperis tu manum tuam, et imple omne animal benedictione:* et Psalm. CIII. *Aperierte manum tuam, omnia implebuntur bonitate,* quasi dicat: Omnes illæ divitiae et benedictiones, quibus replet tot creaturas, sunt una tantum manus plena, respectu ejus divitiarum omnium.

V. Suam bonitatem et liberalitatem. Primo, dum nobis infinita pene genera ciborum, potum et vestimentorum providet. Bestiis simplicem fere et uniformem tantum cibum ac vestitum dedit; quia beneficia et favores Dei non agnoscunt, nec gratias agere possunt: homini vero omnis generis herbas, fruges, carnes, pisces, aves, vestes, ut plus desiderare nequeat. Addidit etiam quæ ad sanitatem conservandam et reparandam necessaria sunt. Unde bene Jacobi I. dicitur: *Dat omnibus afflueret, et non improperat.* Nostra culpa et iniqua divisio causa est, si aliqui sunt qui indigent.

Secundo providit et ea quæ ad delectationem et commoditatem; (sicut pater charis filiolis emit-

ex unius nimirum calcei decore totius ornatus feminæ elegantiam conjectans, mandavit, ut per universam Ægyptum quæreretur femina, inventamque sibi desponsavit. Terra scabellum Dei est, calcei sunt ornatus creaturarum. Inde colligamus creatoris pulchritudinem, ejusque in amorem rapiamur. Nam qui fecit tam pulchra, quomodo non pulchrior erit? Ita enim Psal. XCIII. argumentatur David: *Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapienti. Qui plantavit aurem non audierit? Aut qui fixit oculum non considerat?* Seu, ut Hieronymus legit non videbit? Qui ergo tam speciosa creavit, non erit speciosior?

IV. Suas divitias. Aperit enim nunc promptuaria sua ad sustentationem omnium viventium. Ubi vides primo, quantam Deus familiam omnium creaturarum quanto tempore alat. Quis in terra rex diu magnum exercitum propriis sumptibus alere potest? Deus totum mundum tot jam sæculis alit. Denique, quam laute et opipare, hominem præsertim? Quam omnes abundanter? Et quot genera herbarum, florum, arborum, animalium, quæ in alio orbe sunt, nobis ignota, cibus illius sunt?

Secundo, quantas intra annum præparet hominibus divitias, ex vino, frumento, aromatibus, serico, lana, lino, carnibus, pellibus, venatione, piscatione, aucupio, herbis, metallis, lignis, etc. Omnia enim hæc ex Dei penu depromuntur, et implent hominum penus, cellaria, horrea, marupia. Itaque qui omnes divites mundi ditat, quam dives ipse erit?

Tertio, has tantas divitias non ex thesauris suis, sed ex una tantum manu sua depromit, teste Psal. CXLIV. *Aperis tu manum tuam, et imple omne animal benedictione:* et Psalm. CIII. *Aperierte manum tuam, omnia implebuntur bonitate,* quasi dicat: Omnes illæ divitiae et benedictiones, quibus replet tot creaturas, sunt una tantum manus plena, respectu ejus divitiarum omnium.

V. Suam bonitatem et liberalitatem. Primo, dum nobis infinita pene genera ciborum, potum et vestimentorum providet. Bestiis simplicem fere et uniformem tantum cibum ac vestitum dedit; quia beneficia et favores Dei non agnoscunt, nec gratias agere possunt: homini vero omnis generis herbas, fruges, carnes, pisces, aves, vestes, ut plus desiderare nequeat. Addidit etiam quæ ad sanitatem conservandam et reparandam necessaria sunt. Unde bene Jacobi I. dicitur: *Dat omnibus afflueret, et non improperat.* Nostra culpa et iniqua divisio causa est, si aliqui sunt qui indigent.

Secundo providit et ea quæ ad delectationem et commoditatem; (sicut pater charis filiolis emit-